

Samuel Schelwig

Jussu Et Decreto Magnifici Amplissimique Senatus Gedanensis, Ad Solennem Introductionis Panegyri, Ut Viro Praecellenti Et Clarissimo, Dn. M. Johanni Sartorio, Eperiensi Hungaro, ... Nunc Eloquentiae Ac Poeseos Professio Publica Ac Ordinaria, In Athenaeo Gedanensi, More Majorum Rite Committatur, Ad Diem XXIII. Octobris. M. DCC. IV. Literariae Rei Statores, Patronos Fautoresque, Quo Par Est Cultu, Officio Atque Affectu Invitat ... Samuel Schelguigius, ...

Gedani: Stollius, 1704

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817980857>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label on the spine]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT!
JUSSU ET DECRETO
MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE
SENATUS GEDANENSIS,
AD SOLEMNEM INTRODUCTIONIS PANEGYRIN,
UT VIRO

PRÆCELLENTI ET CLARISSIMO,

DN. M. JOHANNI
SARTORIO,

EPERIENSI HUNGARO,
PRIMUM APUD THORUNENSES PROFESSORI AC VISITATO-
RI, ABHINC GYMNASII ELBINGENSIS RECTORI
INSIGNITER MERITO,

NUNC

ELOQVENTIÆ AC POESEOS PROFESSIO
PUBLICA AC ORDINARIA,
IN ATHENÆO GEDANENSI,
MORE MAJORUM RITE COMMITTATUR,
AD DIEM XXIII. OCTOBRIS.
M. DCC. IV.

LITERARIÆ REI

STATORES, PATRONOS FAUTORESQUE,
QUO PAR EST CULTU, OFFICIO ATQUE AFFECTU
INVITAT;

STUDIOSAM VERO JUVENTUTEM
PERAMANTER CONVOCAT
ATHENÆI RECTOR,

SAMUEL SCHELGUIGIUS,
S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ECCLESIAEQUE
AD S.S. TRINIT. PASTOR.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIAE STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI CHALCOGRAPHI.

10

Magnif. In. 2
cum 9.




Riste exilii nomen est, & prorsus funestum. Quamobrem cum Jocaſta apud Euripidem quæreret: *Quid est exilium, nonne magnum malum est?* Polynices respondet: *Maximum, re verò majus est, quàm verbis.* (a) Si enim rectè Poëta cecinit:

Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos

Ducat & immemores non suat esse sui: (b)

Quid mirum, si patriâ extorres, in alieno solo, quoddam amicis, quibus à primâ affveverunt infantia, quoddam cognatis ex ipsâ sanguinis conferruminatione charissimis, quoddam Patronis & benefactoribus, imo quoddam & æmulis, quorum ut Æschini à Demosthene accidit (c) convitiis ac calumniis, ad virtutis studium accendebantur, cendum sit, deplorant. Atat cum ferre fortes deceat, quod mutari nequit; nec dum, ad hodiernum usque diem, deficiunt, qui, cum Teucro, patriam esse censeant, *ab icunq; bene est* (d) Quâ in sententiâ tantò magis confirmantur; quantò supremum Numen sibi præsentius esse apud exteros persentiscunt. Neque etiam defunt exempla eorum, quos Deus idèd ex patriâ evocasse videtur, ut extra eam pluribus virtute suâ profint, quàm domi fortè ipsis præstare licuisset. Ita Abrahamus, credentium pater, ex Chaldæâ, ubi vitalem recens natus auram hauserat, in Palæstinam migrare jubebatur, non solum ut hæreditatem posteritati ejus promittendam videret & animo, quod fieri posse Themidos consecranei docent, quodammodò adiret & capefferet; verum etiam ut de summo unicoque Numine idololatriæ prædicaret. (e) Quod cum impigrè aliquandiu fecisset, annonæ, quæ Palæstinam affligebat, caritate, in Ægyptum propellebatur. Regno autem huic quid commodi contulerit, non tam ex Josepho, cujus testimonium de stirpe gentis suæ suspectum haberi posset, quàm ex ipsorum Gentilium scriptis constat. Josephus quidem de Abrahamo scribit: (f) *Acceptâ à Rege cum præstantissimo quoque Ægyptiorum ac doctissimo congregandi potestate effecit, ut virtutis nomine in maximam estimationem veniret. Nam cum ea gens in diversos ritus & opiniones scinderetur, & per mutuum contemptum atque insectationem infensus inter se animis agerent, collisos inter se eorum de religione sermones & à se ipsis confutatos vanissimos esse, nihilque prorsus veritatis habere declaravit; ob has dissertationes in precio habitus, ut qui magnam tam intelligendi, quàm eloquendi docendique facultatem præ se ferret, & numerorum scientiam & doctrinam siderum benignè illis communicavit. Nam ante Abrahami ad se adventum, Ægyptii rudes erant hujusmodi disciplinarum: quæ à Chaldeis ad Ægyptios profecta, hinc ad Græcos tandem pervenerunt. Consonant autem hisce, quæ ex Eupolemo & Artapano Alexander Cornelius, cognomento Polyhistor, quem Milesium fuisse & Lucii Syllæ temporibus floruisse, Suidas refert, literarum monumentis in fragmento quod Eusebius Lib. IX. *Preparationis Evangelicæ* exhibet, (g) connotavit. Quibus beneficiis Ægyptii postea pariter, à Josepho Patriarchâ, apud eos exule, cum septennali agrorum sterilitate vexarentur, affecti sint, Scriptura Sacra exponit. (h) Ne quis verò Josephum subditis fame pressis, quos cum primum nummis, atque hinc insuper pecoribus emunxisset, tandem Regi tributarios reddebat, gravem nimis extitisse putet, quomodò quæ contra singulos suscipiebantur; utilitas publica, cum salute totius regni affatim rependerit, denuò ex Artapano apud Eusebium percipiamus: (i) *Josephum, ait, eo Regis studio ac benevolentia exceptum esse, ut Præfectus ab eo totius regni constitutus fuerit: Eundem verò, cum Ægyptii terram eatenus magnâ perturbatione conluisissent, quod neque divisa regio esset, ac tenuioris fortuna homines à potentioribus iniquius haberentur; agros ante omnia divisisse, certis passim finibus terminisque descriptos, adeoq; magnam soli partem, incultam prius atque sylvescentem, cultura opportunam commodamq; reddidisse &c.* Pythagoram quis nescit, patriâ Samium, Italicæ philosophiæ conditorem? (k) Ille quod Polycratis tyrannidem ægrè ferret, in magnam Græciam, quæ hodie regni Neapolitani nomine venit, exul profectus, incolis, antea omnis sapientiæ expertibus, quæ à Pherecyde Syro,*

(a) In Phœnissis v. 391. seqv. (b) Ovid. lib. 1. de Ponto. (c) Æschines Ep. 3. & 5. (d) Cicero Insc. l. 5. (e) Genes. XII. 8. XIII. 4. XXI. 33. (f) Antiquit. L. 1. c. 9. (g) n. 17. 18. p. 418. seqv. (h) Genes. XLVII. 13. seqv. (i) Lib. IX. n. 23. p. 429. (k) Ovid. Metam. L. 15.



Syro, Hermodamante, Ægyptiis, Chaldæis, imo si conjecturæ locus est, etiam Judæis didicerat, præsertim in Mathesi, non sine fructu impertiit, relictis sectatoribus longè plurimis, ex quibus Archytas Tarentinus, Alemæon ac Philolaus Crotoniæ & Hippasus Metapontinus, à præceptore proximi, eminuisse feruntur. (λ) Ovidium vix quisquam bonum dixerit, nisi Poëtam: Ille tamen ab Augusto Imperatore; in exilium missus, quicquid boni habebat, Getis & Tomitanis, apud quos vivebat, liberaliter communicavit. Postquam enim linguam eorum didicisset, barbara verba metro aptavit, & Poëseos, siqua in terris istis, post fata Sulmonensis vatis, locum obtinuit, inventor dici meretur. Huc spectant ea, quæ Caro inscripsit:

*Ab pudet! & Getico scripsi sermone libellum,
Structaque sunt nostris barbara verba modis:
Et placui (gratare mihi) capique Poëte
Inter inhumanos nomen habere Getas (μ)*

Meliores Ovidio juvenes duo, Ædesius & Frumentius, patriâ Tyrii, qui Philosophum Meropium, in extremam usque Indiam, secuti erant. Nam interfecto ab incolis præceptore, cum ætatem eorum hostes miserti, captivos Regi donassent, post annorum plurimorum servitia, Indis in Seculo IV. Religionem Christianam pervaserunt. (ν) Eadem circa hoc tempus Iberis, Ponti Euxini accolis, à muliere captivâ, quæ curatâ per preces Reguli uxore, Christi virtutem prædicabat, accidisse, à Sozomeno edocemur. (ξ) Præcedunt in autore laudato sequentia, haud indigna lectu. (ο) Hac tempestate, cum innumerabilis Barbarorum multitudo ex variis gentibus collecta, ex Thraciâ in Asiam trajecisset, eamque omnem depopularetur; & alii aliunde Barbari Romanos sibi finitimos pari modo aggressi essent, multi sacerdotes Christi à Barbaris capti, cum illis commorati sunt. Qui cum egrotos illic homines sanarent, & demoniacos purgarent, Christum tantummodo nominantes, & filium invocantes Dei: vitam prætereâ sanctissimam & ab omni reprehensione vacuam ducerent, ac virtutibus superarent invidiam: admirati illos Barbari, cum ob vitæ integritatem, tum ob miracula ab ipsis perpetrata, prudenter se facturos putarunt, Deumque propitium habituros, si eos quos meliores viderant, imitarentur, & divinum Numen perinde colerent atque illi. Præinde cum eos sibi præcipere jussissent, quæ agenda erant; instituti sunt ab illis, & sacro lavacro tincti; atque exinde ad Ecclesiasticos conventus admissi. Neque illud reticendum, quod Constantinopoli à Muhammede II. Turcarum Tyranno expugnatâ, cum reliquæ Græcorum, eruditione excellentium, Theodorus Gaza, Janus Lascaris, Emanuel Chrysoloras, Georgius Trapezuntius, Marcus Musurus, Laonicus Chalcondylas, aliique in Italiam profugerint, Græcam literaturam, quæ inde in Galliam ac Germaniam diffusa est, secum exportarint. Ut de mechanicarum artium culturâ taceamus, quæ sæviente inter Belgas duce Albano, inde cum exulibus in Germaniam, præcipuèque Borussiam nostram migravit: planè ut nostrâ ætate, Gallorum, religionis servandæ studio ex patriâ se proripientium solertia, in Marchiâ aliisque regionibus, haud paucos excitavit imitatores. Quid verò de Hungariâ dicemus, optimorum ingeniorum feracissimâ matre & benignissimâ nutrice? Dimisit illa, aut ut quod res est proloquamur, dimittere coacta est Ministros Ecclesiarum Scholarumque Evangelicarum longè plurimos, quibus Antichristus, jam ab anno MDCLX. iterum iterumque flebile imperavit exilium: Verùm enim verò de quolibet eorum qui ejiciebantur, illud Cypriani verissimum mansit: (π) *Solus non est, cui Christus in fugâ comes est: solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est.* Haud pauci sub alieno sole decedentes, in requiem Domini sui ingressi sunt. Plures tamen etiamnum vivunt & ad publica officia alibi locorum promoti, dona à Deo largâ manu concessa, cum multiplici eorum, apud quos commorantur emolumento dispensant. Ut quosdam ex illis, quorum notitia ad nos pervenit, honoris gratiâ nominetenus exprimere liceat, obdormierunt in Christo Elias Thome Posoniensis, Gymnasii Elisabethani Rector & Scholarcha, Georgius Gasfuzius, Rector Gymnasii Evangelici apud Bremenses, Joachimus Erythraeus, Belensis, Pastor ad D. Jacobi apud Stetinenses.

(λ) Vossius de Philos. sectis c. 6. p. 28. seqv. (μ) L. 4. de Ponto Eleg. 13. (ν) Sozom. L. 2. c. 24. (ξ) Ib. c. 7. (ο) Ib. c. 6. (π) L. 4. Epist. 6.

ses, *Matthias Zimmermannus*, Eperienfis S. S. Theol. D. & Superintendens Misenenfis, *M. Johannes Bayerus* Eperienfis, designatus Gymnafii Leucopetræi Director, sed facto prius defunctus, quàm Spartam oblatam adiret, *Christophorus Klefchius*, Igloviensis &c. Vitali adhuc aurâ vefcuntur Viri multis nominibus celebrandi: *Magnus Daniel Omeis*, Pofonienfis, Eloquentiæ & Moraliû in Academiâ Altorphinâ Professor, *Johannes Baptista Ræfchelius*, Sempronienfis, Phificæ Professor Wittebergæ, *Georgius Fridericus Magnus*, Pofonienfis, Auguftæ Vindelicorum Rector & Reipubl. Bibliothecarius, B. D. Antonii Reiferi fucceffor, *M. Matthias Kinâst*, Pofonienfis, ad D. Mariæ apud Stralfundenfes Pastor, orthodoxiæ tenaciffimus, *Johannes Rezik*, Professor & Vifitator Gymnafii Thorunenfis &c. Hisce verò jure meritòque accenfetur, cujus caufâ, hodie non fine animi voluptate, ftvlo negotium faceffere jubemur, Vir Præcellens & Clariffimus, DN. M. JOHANNES SARTORIUS, Eperienfis, cujus venerandus Parens, filio cognominis, antehac Ecclefie Eperienfis Pastor, poft eâ exilio propter veritatem mulctatus, gregem Chrifti Trutenoviæ, in infulâ Gedanenfium, ad placidam ufque mortem, quæ in annum M DC XCI. incidit, debitâ fide & vigilantia rexit. Ille cum in Athenæo patrio *informatione*, quam ipfe fic celebrat, plus quàm paternâ D. Samuelis Pomarii per biennium ufus effet, hinc Academiâ Lipfienfem, Tubingenfem & Witebergenfem invifit, Theologiam ita excolens, ut fimul humaniores literas nunquam non conjungeret: In Theologiâ Lipfiæ D. Adamû Scherzerum, Tubingæ D. Tobiam Wagnerum & D. Johannem Adamum Ofiandrum, Witebergæ D. Abrahamû Calovium & D. Johannem Andream Quenftedum, celeberrimos veritatis Evangelicæ propugnatores, præ cæteris audivit. In Philofophiæ ac Philologiæ culturâ plurimum fe D. Valentino Alberti, Jacobo Thomafio, Georgio Cafparo Kirchmaiero & Witebergenfium Mufarum lumini, Samueli Conrado Schurzleifchio, debere, gratus profitetur. Ex Theologicis Respondens de *Mysterio S. S. Trinitatis*, fub D. Ofiandro, & de *Jure divino circa imputationem primi peccati*, fub D. Quenftedio, in Cathedrâ Academicâ egit. Præfes autem Witebergæ, poftquam M DC LXXIIX. Magifterii gradum confcendiffet, de *Carthefii modo demonftrandi exiftentiam Dei per ideam, de anima brutorum, deq; montium incendiis* difputavit. Quam telam Gymnafio Thorunenfis ab An. M DC XXCII. admotus, impigrè continuavit, de *Ritu decimationis veterum Romanorum, de Cultu imperantibus deferrî folito, de Nive præfertim infolitâ, de Athanaſio in perfecutione fugiente, deque aliis Hiftoriæ Ecclefiafticæ meletematibus duodecim: item de Neftorio Hærefiarchâ, de Meffio Decio, de Pænâ ob alienum delictum inflictâ* differens. Sic & in Elbingenfi Athenæo, cui M DC XCIX. præfectus eft, *Decalogum ante Moſen & Fortitudinem togatam* difputando excuffit. Qualis autem & quantus in Stylo fit, noſtrâ potiffimum refert: id quod Noſter Thorunii tribus ſcriptis, nempe *Orationibus panegyricis*, quæ fub titulo *Vindebonæ liberatæ & Scuti Sobiefciani* prodierunt, ac *Gratulatione*, qua *Leonis Bavarici cum Aquilâ Sarmaticâ conubiale fœdus* excipitur, edocuit. Secuta ſunt Elbingæ plurima hujus generis exercitia, in Actibus Oratoriis juventuti propofita. Ipſe autem de *Cauſis fatales rei literariæ periodos accelerantibus*, itemque de *Gymnafii Elbingenſis Encœniis ſecularibus* ita dixit, ut orationes typis excuſæ etiamnum cum prolubio legantur. Indefeffa hæc doctiffimi Viri induſtria, Magnificum Gedanenfis Reipublicæ Senatû, Patronos noſtros gratioſos, excivit, ut Virum, quem ſtudioſæ Juventuti utiliſſimum fore cenfebant, legitimè vocatum, in Athenæo ſuo, Eloquentiæ ac Poëſi docendæ præficerent; quorum proinde juffu Eidem XXIII. Octobris cathedra, ritu ſoleni, per Rectorem de HERCULE O GMIO, Eloquentiæ apud Gallos quondam Symbolo, dicturum aperietur. Huncce autem ipſe Professor novus Oratione, qualis ab illo haberi conſuevit, luculentâ, de eo QUID ORATORIS FACUNDIA POETIS DEBEAT, excipiet, futuris operis cum applauſu, quod certò ominamur, præluſurus. Faxit Deus, ut omnia proſperrimè ſuccedant, atque ex patriâ ejectus, patriam poſthac apud nos reperiat, deque eâ ſibi perpetim gratuletur! Reddat clementiffimum Numen regno Poloniæ atque aded & Boruffiæ noſtræ, Sarmatis indiffolubili nexu conjunctæ, pacem, nec unquam inter arma Muſas filere ſinat. Bene Regi dicat, bene Magiſtratu, bene Civibus, bene Athenæo! P. P. Dom. XXII. p. Trinit. M D C C I V.



[Faint, illegible text on a small paper label affixed to the spine area.]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 ebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 querentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submitit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliix. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

